

Quod si tamen capitulum sit interdictum vel suspensum, ob delictum a quo pauci quidam innocentes omnino fuerunt, canonici, quos supponimus delicti minime participes, non valent agere nomine capituli. Dicitur in una decisione Rotæ : « Licet capitulum conservetur et sit repræsentabile per unum duntaxat canonicum, repræsentatur tamen (in hoc casu) tanquam corpus infectum et inhabile ad exercendum actus jurisdictionales : alias darentur in eadem Ecclesia duo capitula, alterum suspensum et interdictum, et alterum neque suspensum neque interdictum, quod monstruosum esset. » *Decisiones recentiores Rotæ*, part. XII; tom. I, decis. 45, n^{is} 12-16.

Hanc doctrinam, quoad utrumque punctum, reperimus communiter receptam apud celebriores canonistas, Fagnan, Barbosa, Pirrhing... qui multa exinde corollaria practica deducunt, ex quibus duo, exempli causa, ob rerum gravitatem adducemus.

1^o Deducunt ex principio allato canonicum, qui, sede vacante, solus superstes fuerit, posse concedere litteras dimissoriales, quod sic etiam declaratum a S. Congregatione concilii refert Fagnan : « An casu quo capitulum concedere potest dimissorias, si canonici propter hæreses sint dispersi et nequeant convenire, aut conveniri sine difficultate, sufficiat habere dimissorias ab uno aliquo ex canonicis cathedralis... S. Congregatio Card. concilii Tridentini interpretum censuit... sufficere habere dimissorias a residentibus capitularibus, etiamsi unus duntaxat resideret, quia jus capituli etiam in uno conservatur. » (In cap. *His quæ*, n^{is} 62 et 63, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, lib. I Decret.)

2^o Deducunt capitularem qui remanet, posse ad electionem seu potius ad nominationem prælati procedere, in locis ubi capitula hoc jure fruuntur. « Si vero unus solus remaneat, ait Pirrhing, aliis duobus mortuis, vel a societate recedentibus, non erit collegium actu, cum hoc collectionem personarum, ex vi significationis suæ, importet; jura tamen collegii in illo uno remanebunt, et sic collegium quodammodo habitu, seu

« virtute, in uno manebit, isque solus et unus poterit exercere actus collegio seu capitulo competentes, ut est eligere, et postulare... et quamvis se ipse eligere non possit... potest tamen aliam personam in prælatum eligere, vel potius nominare. » (In tit. DE ELECTIONE, n^o 12, lib. I Decret.¹.)

* 426. — VI. *Utrum necesse sit deliberationes capituli confirmari ab Episcopo, et quis sit effectus hujus confirmationis?*

I. Deliberationes capituli indigent probabiliter confirmatione data ab Episcopo, ut stabiliter valeant in futurum, vimque legis obtineant. Deducitur ex dictis supra (n^o 395).

Necesse est præterea ut deliberationes de publicis officiis, aut de regimine capituli in re majoris momenti, subjiciantur

¹ Tempore perturbationis rerum publicarum in Galliis, cum obiisset in regione externa Yvo de Marbœuf, Archiepiscopus Lugdunensis, tres canonici qui e capitulo supererant, cæteris vi tempestatis in varias regiones disjectis, vicarium capitularem elegerunt, die 12 maii, an. 1799, qui diocësim sede vacante regeret. Pro sua parte Congregatio particularis Cardinalium a Pio VI constituta super negotiis ecclesiasticis Galliarum, ut primum audierat de morte Archiepiscopi, mature prospexit ne grex pastore careret tam necessario tempore, et deputavit J. B. Verdolin in administratorem apostolicum. Hinc orta est contentio inter vicarium capitularem et administratorem apostolicum. Cardinales Albani, Gerdil, Antonelli et Maury, quos Pius VI præfecerat his negotiis, pronuntiaverunt se in priori sententia de deputando administratore permanere, ac tandem causæ finem imposuit Pius VII datis litteris *Ecclesie Lugdunensis* die 2 sept. 1800, in quibus quod decretum a Congregatione fuerat confirmavit, hæc subjungendo : « Neque ullam sanè habendam rationem censuerunt (cardinales) ejus quod actum a tribus canonicis istius Ecclesie cathedralis esset, qui totius capituli potestatem ad se reductam falso opinantes, vicarium capitularem contra fas delegerunt dilectum filium Bernardum de Rully. » Conjicimus Pium VII non intendisse improbare sententiam communissimam canonicitarum de jure capitularium qui, cæteris tempestate depulsis, supersunt in sua Ecclesia residentes; sed ita locutum ob facultates speciales quas Pius VI demandaverat super negotiis ecclesiasticis Gallie, Congregationi selectæ Cardinalium. Si unquam dubium oriretur, utrum ratione circumstantiarum, ut contigit per turbulentissima tempora perturbationis Gallie, mediis ordinariis juris Ecclesiarum necessitati provideri debeat, an extraordinariis, capitulares possent, recursu habito ad S. Pontificem, prospicere regimini diocësis, interea dum Sancta Sedes quid sit agendum statueret.

examini Episcopi, et ab eo approbentur; vigilare enim debet Antistes ne quid innovetur contra disciplinam.

Minora negotia regiminis capituli possunt a canonicis pertractari in suo conventu, quin urgeat necessitas adeundi Episcopum, causa obtinendi confirmationem. Ita communiter, teste Suarez. (*De Legibus*, lib. IV, cap. VI, n° 11.)

427. — II. Diversi sunt effectus confirmationis, prout data fuit solummodo in commendationem statutorum, vel ut induant indolem legis superioris.

Capitulum potest sua statuta, etsi confirmata ab Episcopo vel etiam a S. Pontifice, revocare aut immutare, non obtento prius Episcopi vel S. Pontificis consensu, quando statuta de negotiis sunt quæ jure ad capitulum pertinent, et confirmatio data est *accidentalis*, ut aiunt, non *essentialis*. Hujusmodi confirmatio superadditur ob quemdam specialem splendorem, non autem ut statuta capitularia induant naturam legum pontificiarum, seu episcopalium, quæ vim obligandi habeant.

Quoties confirmatio respicit commodum statuentium, præsumitur mere *accidentalis*; quia superior non censetur velle conferre beneficium invito. E converso, quando statutum principaliter refertur ad bonum publicum, vel ad favorem Ecclesiæ, præsumitur confirmationem esse *essentialem*, vimque superaddere quæ jam a voluntate statuentium non pendeat. (Fagnan, in cap. *Cum accessissent*, n° 12; Schmalzgrueber in tit. DE CONSTITUT., n° 54; et Andreucci, loc. cit., n° 154.)

SECTIO V^a

DE REGULARIBUS.

Regulares dicuntur qui modum vitæ communis ab Ecclesia probatum, emissis votis, profitentur. De regularibus inquirendum habemus 1° quæ sit origo status religiosi; 2° quæ sit natura hujus status, et quatenus ordines religiosi approbari debeant; 3° qui admittendi sint in statum religiosum, et regulæ servandæ in hac admissione; 4° quibus obligationibus obnoxii sint regulares, sive ex votis, sive ex legibus canonicis; 5° demum de regimine ordinum religiosorum, quæ sit auctoritas superiorum regularium, et quatenus Regulares subdantur jurisdictioni Episcoporum¹.

ARTICULUS I. — DE ORIGINE STATUS RELIGIOSI, AC PRÆCIPUORUM ORDINUM RELIGIOSORUM.

Quæstio de origine status religiosi duplex est: alia, ut ita dicam, dogmatica, an status religiosus sit jure divino, utrum nempe Christus hunc statum instituerit; alia vero historica,

¹ Tit. xxxi et xxxv, lib. III decret. DE REGULARIBUS, ET DE STATU MONACHORUM. Conc. Trid., Sess. xxv, de Regularibus; — Suarez, de Religione, tom. III et IV; — Tamburini, de Jure abbatum; — Hélyot, Histoire des ordres religieux, 8 vol. in-4°.

quandonam institui reipsa cœperit in Ecclesia status religiosus.

428. — I^o *Utrum Christus instituerit statum religiosum?*

Canonistæ communiter dicunt statum religiosum, si spectetur quoad substantiam, institutum fuisse a Christo; si vero spectetur quoad peculiarem determinatumque modum vivendi, suam originem habere ab institutione Ecclesiæ: unde concludunt hunc statum secundum se, abstrahendo a forma talis alteriusve ordinis, esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente. « Hæc est sententia omnium catholicorum recte « sentientium, » ait Suarez. (*De Religione*, lib. III, cap. II, n^o 5.)

Assertum probant 1^o *Auctoritate SS. Patrum*, quorum alii dixerunt Christum per verba *Venite ad me omnes...* nos ad statum religiosum vocavisse; alii hunc statum appellant *Philosophiam a Christo introductam*; alii extollunt vitam religiosam tanquam imitationem vitæ quam Christus cum suis Apostolis duxit. 2^o *Textibus Evangelii* quibus Christus homines cohortatur ad tria consilia evangelica: *Vendite quæ possidetis et date pauperibus... Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum; qui potest capere capiat... Si quis vult post me venire, abneget semetipsum...* Quæ singula, inquiunt, licet in aliquo sensu possint ad omnes fideles pertinere, proprie tamen intelliguntur de actuali omnium abdicatione ad Christum perfecte sequendum; non solum praxim consiliorum commendant, sed et votum quo magis hæc perfecte servantur. « At vero, ait Suarez, substantia status religiosi in his tribus votis consistit; ergo hic status ab ipso « Christo traditus est... Christus nos invitavit ad quamdam « vivendi rationem et statum, omnem illam abnegationem cum « stabilitate includentem. » (Loc. cit., n^o 5.)

Argumenta proposita convincunt statum religiosum esse maxime consentaneum evangelicis doctrinis, in quo consentiunt omnes doctores catholici. Cum Christus nos ad praxim

consiliorum induxerit, commendando castitatem, abdicationem bonorum temporalium, et abnegationem propriæ voluntatis, omnes qui perfectionem vitæ christianæ prætendunt, inde incitantur ad amplectendam hanc vitæ rationem qua certius, ac perfectiori modo, emissis nimirum votis et a superiore nomine Dei acceptatis, hæc evangelica consilia observent.

Ita interpretamur doctrinam Sanctorum Patrum; nec putamus alio sensu dici posse statum religiosum institutum fuisse a Christo. Id vero sufficit ad vindicanda jura Ecclesiæ contra adversarios status religiosi, si tamen aliquam rationem habeant libertatis religiosæ. Ex eo enim quod Christus non vere instituerit hunc statum, illico concludunt minime necessarium esse Ecclesiæ, ut sint ordines religiosi, in arbitrioque Gubernii civilis fore ut illorum existentiam permittat, toleret, aut interdicit prout ipsi visum fuerit. Catholici e contra merito propugnant asserendam esse Ecclesiæ libertatem instituendi ordines religiosos, ex hoc solum quod status religiosus sit *de jure divino non quidem præcipiente, sed consulente*; hoc enim posito, consequens est ut Christi fideles libere valeant sequi consilia evangelica, quum id sibi divinitus inspiratum sentiunt. Hinc Pius VI, venerabilis memoriæ, graviter conquestus est, in suo brevi ad Card. de la Rochefoucauld et ad cæteros Prælatos conventus nationalis, de decreto quo conventus aboleverat ordines regulares. « Abolitio regularium a conventu nationali decreta lædit, inquit, statum publicæ professionis « consiliorum evangelicorum; lædit vivendi rationem in Ecclesia « commendatam, tanquam apostolicæ doctrinæ consentaneam; « lædit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramus, qui non nisi a Deo inspirati eas instituerunt societates. » Breve apostolicum *Quod aliquantum*, die 10 martii an. 1791.

Quamvis igitur necessarium non sit, ad constitutionem et conservationem Ecclesiæ, existere ordines religiosos, necessarium tamen est ut ordines existere possint, et certa spe de superna

assistentia Dei confidimus nunquam re ipsa defecturum esse in Ecclesia statum religiosum.

429. — II^o *Quandonam inceperit status religionis?*

I. Apparent, sub veteri lege, vitæ religiosæ primordia in filiis Prophetarum, in Rechabitis et in Esseniis.

Filii Prophetarum, quos S. Hieronymus (*Epist. ad Rusticum*) vocat monachos Veteris Testamenti, vitam sanctiorem agebant sub regimine prophetae cui se discipulos commiserant. Illorum mentio frequens habetur in *libris Regum*; unde concludere est illos formam vitæ communis cum suo superiore iniisse. An vero in perpetuum fuerit hæc societas, votisque firmata, vel ad tempus, donec rebus divinis instituerentur, aut pro arbitrio hanc vitæ rationem dimitterent, non constat.

Rechabite, sic nominati a Rechab, patre Jonadab ipsorum institutoris, societatem a communi vivendi modo alienam formabant, cujus erat disciplina: 1^o ut abstinerent a vino, sicera, et omni alio liquore qui possit inebriare; 2^o ut habitarent procul ab urbe, non in domibus, sed in tentoriis; 3^o ut non sererent frumentum, nec vineas plantarent. Hæc religiose observata esse testatur Jeremias (cap. xxxv, 6). Videtur Rechabitas exstitisse usque ad tempus eversionis templi a Nabuchodonosor; ab ea ætate, post reditum gentis Judaicæ a servitute Babylonica, nulla est illorum mentio.

Esseni majorem habuere analogiam cum ordinibus religiosis, siquidem abrenuntiabant conjugio et dominio privato, ac superiori inter seniores electo obediebant, ut vitam contemplativam agerent. De Esseniis loquuntur Philo, Josephus, ac etiam Plinius. Nonnulli inter Sanctos Patres suspicati sunt Philonem locutum esse de christianis quos Judæos reputabat, quia ex gente Judaica erant et ritus plures Mosaicos retinuerant. Verisimile est plures fuisse Essenios ante et post Christum, et multos ex illis, ad fidem christianam conversos sancti Marci prædicatione, suum vivendi modum in christianismo retinuisse et perfecisse ¹.

¹ Cf. Suarez, *de Religione*, lib. III, cap. II, n^o 11-12.

II. Plures scriptores, magnæ quidem auctoritatis, existimant statum religiosum a temporibus apostolicis incepisse, imo ipsosmet Apostolos veros fuisse religiosos, Christo addictos votis. Inter religiosos etiam annumerant primos fideles, quos historia sacra refert, in *Actis Apostolorum*, omnia sua bona vendidisse, ut daretur pretium pauperibus, vel in commune gereretur; hoc enim non de omnibus christianis Ecclesiæ Jerusalem dictum arbitrantur, sed de iis solum qui paupertatem, castitatem et obedientiam, inter manus Apostolorum, vovebant.

Jure conjicimus a primis temporibus exstitisse veros religiosos inter ascetas et anachoretas, imo fuisse etiam quibusdam in locis cœnobitas; quod ut melius exponatur, hæc notanda:

1^o *Ascetæ*, de quibus dixerunt scriptores primævæ ætatis, nuncupabantur qui, sive in civitate propriisque ædibus, sive in agris, austerius vitæ genus profitebantur. Alii ferventiori exercitio orationis, per magnam diei partem, se dabant; alii operibus charitatis in favorem pauperum suas curas impendebant ¹. Porro verisimile est plures ascetas hoc vitæ genus Deo vovisse, sub regimine sui Antistitis; quod concludimus, tum ex zelo quo incitabantur ad praxim consiliorum evangelicorum, tum ex nonnullis testimoniis quæ virgines Deo dicatas memorant in domo conversantes.

2^o *Anachoretæ* dicti sunt qui singulares vitam asceticam agebant in solitudine. Notissimi fuere Paulus et Antonius, quorum alterum Hieronymus *vitæ anachoretarum auctorem*, alterum *illustratorem* nominat (*Ep. ad Eustochium*); quod tamen non probat primos fuisse qui eremum habitaverint. Desunt argumenta certa quibus enucleari queat quæstio an anachoretæ fuerint religiosi proprie dicti; præsumendum tamen videtur plures anachoretas, non secus ac ascetas, vitam religiosam vovisse.

¹ Cf. Selvagio, *Antiq. christ.*, lib. I, part. II, cap. XIII; — Blanc, *Cours d'histoire ecclésiastique*, leçon XXXV.

3^o *Cœnobitæ*, quos usu loquendi *monachos* vocamus, vitam communem in cœnobio, seu monasterio, agebant.

Plures eruditi dicunt nullum erectum fuisse monasterium, nullas formatas societates fidelium ad certas regulas in communi degentium, donec sanctus Pachomius, pace Ecclesiæ redita, monasteria ædificari curaverit in Thebaide Ægypti, ex quibus hæc vivendi ratio in alias regiones paulatim propagata est. Alii, magno quidem argumentorum pondere, demonstrare enituntur antiquiorem esse ac Apostolis cœvum statum cœnobiticum¹. Nostrum non est litem inter doctores componere; haud improbable est sanctum Marcum plures christifideles ad vitam religiosam adduxisse, quod in nonnullis etiam aliis regionibus fecerunt viri Apostolici. Eusebius, sancti Hieronymus et Epiphanius, de veris religiosis christianis intellexerunt textus Philonis Judæi de Esseniis, seu therapeutis, qui primævis sæculis vitam communem ducebant sub regimine unius præpositi. Decursu vero temporum, sæviante persecutione in religionem christianam, collapsa sunt hæc cœnobia et cœnobitæ dispersi, adeo ut vitæ monasticæ nulla superessent vestigia, abolitaque esset illius memoria, quando hunc statum de novo instauravit sanctus Pachomius quem regulares venerantur, una cum sancto Hilarione, ut ordinis religiosi Patriarcham.

430. — III^o *Quæ sint præcipuæ species ordinum religiosorum?*

Quamvis omnes ordines religiosi ad eundem finem ultimo tendant, nimirum ad perfectionem vitæ christianæ praxi consiliorum evangelicorum, alii tamen ab aliis discernuntur ratione regulæ sub qua Deo militant, et finis proprii quem intendunt; quamobrem distinctio Ordinum oritur simul a diversitate regularum et finis proximi.

¹ Selvagio, loc., cit., § 11; — Thomassin, *Disciplinæ Eccles.* part. I, lib. III; — Hélyot, *Histoire des ordres religieux*, tom. I, *Dissert. préliminaire*, § 4; — *Examen historicum et canonicum libri Mariani Verhoeven*.

Quatuor sunt regulæ principaliores, nempe: regulæ sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti et Francisci. Unam e quatuor amplexati sunt plerique fundatores ordinum et congregationum, adjectis statutis, seu constitutionibus peculiaribus, quibus suam quisque familiam ad finem proprium adduceret.

Ordines generatim distinguuntur in tres classes, prout ex sua primaria institutione profitentur vitam contemplativam, activam, aut mixtam. Cum vero sæpius non ita facile sit discernere, sub eo respectu, nonnullarum religionum conditionem, opportunius ducimus præcipuarum originem referre, servato temporum cursu, inde enim melius manifestatur ratio divinæ Providentiæ in successiva productione institutorum regularium. Sunt igitur ordines *monachales*, *canonici regulares*, *ordines mendicantes*, *ordines hospitalarii* et *militares*, *clerici regulares*, et diversæ congregationes cum votis simplicibus.

451. — I. A primæva ætate ordines religiosi in hunc finem principaliter instituti sunt ut vacarent contemplationi rerum divinarum, orationi, lectioni, aliisque pietatis exercitiis; quod tamen non obstabat quominus curam spiritualem agerent fidelium ad suum conventum venientium, et ex monasteriis assumerentur viri vitam religiosam professi ut sedes episcopales occuparent, aut etiam fidem gentibus annuntiarent.

Hæc erat communis conditio regularium, qui idcirco *monachi* appellabantur a voce græca *μόνος*, latine solus; quia vitam agebant alienam a consortio sæcularium. « Nemo potest, aiebat S. Gregorius, et ecclesiasticis obsequiis deservire et in monachica regula ordinate persistere; » et S. Hieronymus: « Monachus non docentis, sed plangentis habet officium... Si cupis esse quod diceris, monachus, quid facis in urbibus? » Cap. *Nemo*, 2, *Monachus*, 4, *Si cupis*, 5, caus. XVI, q. 1.

Ordinibus monachalibus regulas dederunt sancti Basilius, Benedictus et Bruno.

1^o Sanctus Basilius, quem suum patriarcham venerantur mo-

nachi Ecclesiæ Orientalis, litteris mandavit quæ ab Antonio, Hilarione, Pachomio, aliisque sanctis cœnobitis sibi tradita fuerant, aut etiam verbo tenus audierat; atque ex illorum traditionibus regulam confecit, anno circiter 560, quæ tacito saltem assensu Episcoporum approbata, normam vivendi dedit omnibus congregationibus religiosis per orientales Ecclesias institutis. Diffusa est etiam hæc religio in quasdam regiones Occidentis, præsertim in Italiam et Hispaniam. Gregorius XIII, Const. *Benedictus*, anno 1579, et Clemens VIII, Const. *Quæ ad restituendos*, anno 1592, cuncta monasteria ordinis sancti Basili, quæ in Italia, Sicilia et Hispania erecta erant, et in posterum erigenda, sub obedientia unius abbatis generalis conjunxerunt, iisque formam gubernii præscripserunt, ut hæc monasteria pristinae dignitati regularique observantiæ restituerent.

2º Sanctus Benedictus unam e principalioribus regulis dedit. Vitam eremiticam aliquot annis egerat, quando, sancti Spiritus impulsu incitatus, discipulos qui ipsius disciplinæ se commiserant, in specu Sublacensi, exemplis et placitis veterum monachorum informavit; ac postmodum enascenti Congregationi, ad Cassinum montem translatae, regulas tradidit, versus annum 520. Celeberrima post obitum sancti Benedicti erecta sunt monasteria in plerisque Occidentis partibus, sub venerabilis Patriarchæ regula. Citare sufficiat, præ cæteris, monasterium Lirinense in Gallia, Cantuariense in Anglia, Fuldense in Germania.

Disciplinam monasticam frequenti incursione barbarorum sæculis subsequentibus fere collapsam instauraverunt sanctus Berno et illius successor sanctus Odo, in monasterio Cluniaciensi in Burgundia, versus an. 910; sanctus Robertus in monasterio Cisterciensi, an. 1098; sanctus Romualdus Camaldoli prope Florentiam, anno 997. Ex illa reformatione prodierunt celeberrimæ Congregationes *Cluniacensis*, *Cisterciensis*, *Camaldulensis*, quæ magnopere contulerunt ad splendorem status religiosi in Occidente.

Cluniacenses vestem nigram induerunt, more religiosorum Basilianorum, in signum abnegationis negotiorum sæcularium. Fidei observantiæ regularum sancti Benedicti operam dederunt; insuper, quod sedulo notandum est, omnia monasteria quæ, missis e suo conventu fratribus, sanctus Odo fundavit, et alia quæ se illius disciplinæ ultro commiserunt, unum abbatem generalem habuerunt, præpositum regimini totius congregationis, ut servaretur eadem agendi ratio sub iisdem statutis.

Cistercienses veste alba induit sanctus Robertus in signum puritatis animæ, quam omni studio æmulari debent. Regulas S. Benedicti litteraliter observari curavit, et nullam exemptionem a jurisdictione Episcoporum expetivit. Superiores monasteriorum quæ reformationi Cisterciensi adhæserant insimul convenerunt an. 1119, ut omnium suffragiis sanciretur constitutio congregationis. Statutum inter cætera fuit jurisdictionem in omnem congregationem nulli in individuo committendam fore, sed omnibus in communi abbatibus, qui temporibus præfixis deberent convenire in capitulum. Ordinem Cisterciensem sua pietate et doctrina illustravit sanctus Bernardus, abbas monasterii Claravallensis. — Ab Ordine Cisterciense orti sunt PP. *Trappenses*, sic dicti a monasterio B. Mariæ de Trappa, prope Mortaniam in diocesi Sagiensi, quod abbas *de Rancé* reformavit, sæculo xvii, ad normam veteris instituti Cisterciensium. Præpositus Generalis omnium monasteriorum Trappensium est abbas Cisterciensis, qui Romæ degit.

Camaldulenses id proprium habent, inter cæteros Benedictinos, quod, præter cœnobitas, sint ex ipsis eremite et etiam reclusi.

3º Sanctus Bruno, canonicus olim Ecclesiæ Remensis, et scholaster, novum ordinem religiosorum vitæ contemplativæ ad dictorum instituit anno 1084, intra montes Carthusianos, prope Gratianopolim; unde religiosi hujus instituti *Carthusiani* dicti sunt. Hæc magna laus ordinis sancti Brunonis quod per-

manserit in suo primævo statu; adeo ut nulla hactenus reformatione indiguerit, quamvis plurima monasteria habuerit in Italia et Gallia. Causam stabilitatis assignant solitudini quam studiose colunt Carthusiani; silentio quod perpetuo servant, excepto solummodo quod ipsis, ita regula ordinante, semel per hebdomadam, paucis quidem horis, secum colloqui concedatur; demum tenaci, etiam in minimis, observantiæ regularum et usuum instituti.

432. — II. Secundo loco venerunt *canonici regulares*, qui vitam mixtam agunt, exercitia vitæ monasticæ sacro ordinis clericalis ministerio consociantes. Canonici regulares sunt utique clerici, vitam religiosam professi, qui servitio aliquarum Ecclesiarum collegiatarum, seu etiam parochialium, addicuntur.

Fundatores ordinis canonicorum regularium habentur sanctus Eusebius Vercellensis, et sanctus Augustinus. Dicitur in Breviario Romano: « Eusebius primus in Occidentis partibus in eadem Ecclesia eosdem monachos instituit esse quos clericos, « ut esset in ipsis viris et contemptus rerum, et accuratio levitarum. » (Anno circiter 350.) Sanctus Augustinus in Africam ab Italia reversus, agros sibi paterna hæreditate relictos alienavit, soluto pauperibus pretio, ut, rebus humanis expeditis, Deo serviret; quam abnegationem rerum temporalium selectis amicis suasit, quibuscum triennium rure transegit, orationi vacans, et vitam monachorum Ægyptiorum, quoad poterat, æmulans. « Factus postea presbyter, ait Possidius, monasterium intra Ecclesiam mox instituit, et cum Dei servis vivere « cœpit secundum modum et regulam sub sanctis apostolis « constitutam, maxime ut nemo quidpiam proprium haberet « in illa societate, sed eis essent omnia communia. » Ex illo monasterio, veluti ab uberrimo fonte, monastica vita sese per omnem Africam diffudit. At ubi ad munus episcopale fuit promotus, cum officia vitæ episcopalis officere arbitraretur tranquillitati vitæ monasticæ, voluit secum in Episcopio alterum monasterium clericorum habere, id est: presbyterorum, diacono-

rum et subdiaconorum Ecclesiæ suæ inservientium (anno 395¹).

Duo igitur fuere sancti Augustini instituta regularia: unum quod vitam contemplativam a curis sæculi alienam profitebatur; alterum vero clericis proprium qui in eadem societate adunati sub lege castitatis, paupertatis, atque obedientiæ erga prælatum suum, sacris ministeriis Ecclesiæ operas dabant. Priori instituto regulas dedit quæ leguntur in epistola cccxi^a sancti doctoris, et sunt, paucis mutatis, communes viris et fœminis: nam et virorum et mulierum in civitate Hipponensi monasteria erexit, teste Possidio. Clericis secum morantibus regulas scriptas non dedit, sed observantias sua diuturna praxi confirmatas, de quibus etiam duos sermones ad suum clerum habuit, cccclv et cccclvi, *de Vita et Moribus clericorum*.

Plures, ab ea ætate, et fortassis, ut quibusdam placet, a præcedentibus sæculis, formatae sunt congregationes clericorum sub eodem regimine. Incertum autem nobis est utrum communitates illæ clericorum recensitæ fuerint inter ordines religiosos proprie dictos, antequam, sæculis nempe xi et xii, sancti præsules, ac præsertim SS. Pontifices reformationem ordinis clericalis aggredientes, illas constitui curaverint sub regula sancti Augustini; ex quo tempore clerici vitam religiosam professi communiter dicti sunt *Canonici regulares ordinis sancti Augustini*. Præcipuum locum occupant, in hac religione, canonici regulares Ecclesiæ Lateranensis. Regulares ordinis Præmonstratensium, a sancto Norberto instituti (anno 1120), inter canonicos etiam S. Augustini recensentur.

¹ « Volui habere in ista domo Episcopii mecum monasterium clericorum. « Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid « proprium... Ergo clericus professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem... qui hoc non vult, habeat libertatem; sed « videat utrum habere possit felicitatis æternitatem. » (Sermo cccclv, alias xlv.) S. Augustinus statuerat nullum clericum ordinare nisi qui vellet vivere una cum episcopo et aliis clericis, postea autem mutato consilio consensus ut liberum ipsis foret vivere paupertatem et obedientiam in societate communi; aut remanere solos in sæculo, periculis mundi obnoxios.

455. — III. A sæculo XIII^o novi ordines, Deo sic providente, instituti sunt qui vitam mixtam agerent, scilicet vitam contemplativam exercitio sacri ministerii, et operibus charitatis erga proximum, consociarent, ad præstandum Ecclesiæ famulatum quo his temporibus indigebat. Ordines Mendicantes dicimus, et congregationes clericorum regularium.

1^o Ordines religiosi nuncupantur *Mendicantes*, qui ex primæva sua institutione servant paupertatem, non tantum in particulari, sed in communi, nulla immobilia frugifera, nec census annuos possidentes, adeo ut eleemosynis fidelium sustententur.

Quatuor præcipui ordines sunt, nempe: Carmelitarum, Fratrum Prædicatorum seu Dominicanorum, Fratrum Minorum seu Franciscanorum et Augustinianorum. His quatuor ordinibus alii plures accensentur, scilicet *Servitæ*, id est servitores B. Mariæ, *Minimi*, a sancto Francisco de Paula, etc., quos SS. Pontifices declaraverunt inter Mendicantes annumerandos. (Pius V, Const. *Romanus Pontifex Apostolicæ Sedis*, an. 1567.)

Carmelitæ a diuturno tempore monasteria possederant in Syria, cum sæculo XIII^o, anno scilicet 1229, in Occidentem venerunt; per multas regiones propagati sunt, et utilissime Ecclesiis sua pietate, ac zelo verbum Dei prædicandi, inservierunt. Acriter disputatum est de illorum prima origine, cum P. Bollandus Societatis Jesu inseruisset tomo mensis martii *Actorum sanctorum* dissertationem, qua asserebat primum superiorem generalem Carmelitarum fuisse Bertholdum, et ordinem suas regulas accepisse ab Alberto, patriarcha Ecclesiæ Constantinopolis, ineunte sæculo XIII^o; ipsi enim Carmelitæ contendebant suum ordinem ab Elia propheta in monte Carmelo institutum: imo plures antiquiorem dicebant. Tantis animorum studiis, ex utraque parte, controversia agitabatur, ut Innocentius XII opportunum duxerit, ad avertendum scandalum fidelium, defensoribus utriusque sententiæ perpetuum silentium sub pœna excommunicationis imponere super quæstione de primæva insti-

tutione ac successione ordinis a prophetis Elia et Eliseo; et omnia scripta contra suæ constitutionis apostolicæ formam in posterum edenda prohibuerit, sub pœnis in regulis *Indicis* librorum vetitorum cõtentis. Const. *Redemptoris*, an. 1698.

Sancta Teresia auctor fuit reformationis Carmelitarum (ab anno 1562), qui a tempore hujus reformationis distincti sunt in duplicem classem: scilicet, in Carmelitas mitigatæ observantiæ, et Carmelitas strictioris observantiæ seu discalceatos. Sunt præterea Carmelitæ eremitæ, et conventuales, quemadmodum in aliis quibusdam congregationibus.

Fratres *Prædicatores* patrem habent sanctum Dominicum, qui, natus in Hispania et professus vitam regularem inter canonicos sancti Augustini, novum ordinem ad defensionem et propagationem fidei instituit Tolosæ in Galliis, an. 1215. Institutum solemniter approbavit Sancta Sedes sub regula sancti Augustini et constitutionibus propriis.

Fratres *Minores* dicuntur Franciscani a suo sancto fundatore Francisco, qui natus est Assisiis in Umbria an. 1182. Ordinem, divina motus inspiratione, instituit, cujus regulæ maxime commendant vitæ perfectioris praxim paupertate evangelica, humilitate, abnegatione rerum humanarum, et pœnitentiæ operibus. Sub regula sancti Francisci militant tres congregationes generales, nempe: *Observantium*, *Capuccinorum* et *Conventualium*.

Observantes, seu Minores regularis observantiæ, censentur regulas sancti Francisci servare sine ulla mitigatione; quod etiam de *Recollectis* seu Minoribus strictioris observantiæ dicendum, qui tamen ab Observantibus differunt accidentaliter in quibusdam, et disciplinam paulo austeriorem sequuntur. Utrique unicam congregationem efficiunt sub obedientia unius ejusdem præpositi generalis; qui, ex decreto Leonis X, solus utitur sigillo totius ordinis et titulum præfert generalis totius ordinis sancti Francisci, seu Fratrum Minorum.

Capuccini regulam etiam observant juxta primævam instituti

puritatem : distinguuntur a congregatione Franciscanorum nonnullis observantiis, in forma vestitus, in domorum suarum constructione, in pecuniarum usu, etc., quæ ipsis visæ sunt magis accedere ad mentem piissimi fundatoris. Capuccini constituunt alteram congregationem generalem, sub proprio superiore.

Tertia congregatio est *Conventualium*, qui regulam servant, non ad rigorem litteralem, sed dispensationibus temperatam, tum quoad possessionem bonorum immobilium in communi, tum quoad vestitum et alia quæ a prima severitate recedunt, legitima tamen redduntur longa possessione, quin etiam assensu SS. Pontificum.

Augustiniani quartum locum occupant inter præcipuos ordines mendicantes. An quædam saltem domus Augustinianorum processerint, successione non interrupta, a religiosis eremitis et conventualibus quos persecutio Vandalorum olim fugaverat ab Africa in loca diversa Italiæ et Galliarum, res est incerta apud eruditos. Plures congregationes in unum religionis corpus reductæ sunt sub regula sancti Augustini versus medium sæculum XIII ab Alexandro IV, S. Pontifice ; atque ab illo tempore Augustinianorum disciplina profecit, multiplicatis per Italiam, Galliam, Hispaniam, cæteraque loca, conventibus eremitarum, discalceatorum, aliorumque hujus sancti instituti regularium.

2^o Congregationes *Clericorum Regularium* eundem finem prosequuntur quem ordines Mendicantium, et præterea ad instaurandam disciplinam clericalem, innovandumque in clero spiritum vocationis suæ, institutæ sunt. Prima ordine temporum, quæ et cæteris postea erectis formam dedit, est *Theatinorum* quam fundavit sanctus Gaetanus an. 1524. Sunt aliæ plures, ex quibus citabimus congregationem clericorum sancti Pauli, vulgo *Barnabitarum*, qui sic dicti sunt ab Ecclesia S. Barnabæ Mediolani, *Jesuitarum* a sancto Ignatio de Loyola, quæ singulæ, licet statutis propriis, provident suorum membrorum sanctificationi spiritualibus exercitiis, observantia paupertatis et obe-

dientia; et simul inserviunt bono Ecclesiæ, prædicatione verbi divini, sacramentorum dispensatione, et clericalis disciplinæ zelo.

Id proprium est societati Jesuitarum, ut, præter novitiõs, triplicem classem religiosorum habeat, scilicet : approbatorum, formatorum et professorum. *Approbati* dicuntur qui, expleto biennio novitiatus, emittunt tria vota simplicia castitatis, paupertatis et obedientiæ. Hæc vota Jesuitas constituunt in statu religioso, eosque inhabiles reddunt ad contrahendum matrimonium. Ad hanc primam classem pertinent, æquo jure, scholastici et coadjutores temporales. *Formati* nuncupantur qui post tertium annum novitiatus, qui communiter fit octo vel decem elapsis annis a prima votorum emissionem, non judicantur idonei ad altiorem gradum assequendum, votorum solemnium professione; quamobrem iterant priora vota, et definitive statui religioso incorporantur in eo gradu. Vocantur etiam coadjutores, seu spirituales seu temporales, prout sunt, vel non, sacris ordinibus initiati, et religiosos professos juvant, alii in temporalibus, alii in spiritualibus. Religiosi formati incapaces fiunt domini; et possunt a superiore generali ab ordine dimitti, difficilius tamen et ob causas graviores quam simpliciter approbati. *Professi*, qui partem principalem societatis constituunt, emisserunt vota solemnium et indissolubili vinculo religionis suo ordini cooptantur. Ad hunc gradum soli clerici admittuntur, seclusis coadjutoribus temporalibus. Inter professos eliguntur superior generalis congregationis, et qui officia majoris momenti exercent.

454. — IV. Vitam activam agunt congregationes regularium, quæ ex sua institutione principaliter ordinantur ad opera misericordiæ et charitatis temporalia aut spiritualia, erga proximum exercenda. Ad illam classem regularium pertinent ordines militares, et hospitalarii.

1^o *Ordines religiosi Militares* instituti sunt ad tutandum armis bellicis christifideles qui pia peregrinatione loca sancta

obibant, et ipsam Ecclesiam, contra infideles. Præcipui fuere: Equites *Melitani*, olim dicti Equites hospitalis sancti Joannis in Jerusalem; *Templarii*, quorum institutum suppressit Clemens V in concilio Viennensi; Equites ordinis de *Calatrava*, in Hispania.

Ordinibus Militaribus respondent duo ordines instituti pro redimendis christianis qui ab infidelibus redacti fuerant in captivitatem: alter fundatores habuit sanctos Joannem de Matha et Felicem Valesium, et approbatus fuit ab Innocentio III, an. 1198, sub titulo SS. *Trinitatis*¹; alter fuit fundatus a sancto Petro Nolasco, una cum sancto Raymundo de Pennafort, et a Gregorio IX approbatus an. 1235, sub titulo *Beatæ Mariæ de Mercede pro redemptione captivorum*.

2º Ordines Hospitalarii se devovent exercitio charitatis erga peregrinos, pauperes et ægrotos. Unum solummodo citabimus, exempli causa, ordinem sancti Joannis de Deo (1550), quem Pius V approbavit sub regula sancti Augustini.

455. — V. Præter ordines religiosos proprie dictos, sunt multæ congregationes sæculares² tum virorum, tum mulierum, quas Deus suscitavit ad finem specialem; alias ad prædicationem verbi divini et puerorum educationem, alias ad curam ægrotorum et pauperum, alias ad seminariorum directionem. Hujusmodi sunt: congregatio *presbyterorum Missionis* seu Lazaristarum, a sancto Vincentio a Paulo, quam Alexander VII approbavit ac confirmavit, cum emissionem votorum simplicium paupertatis, etc., necnon stabilitatis, ea conditione ad mentem sancti fundatoris, « ut dicta congregatio non censeatur propter « ea in numero ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri « sæcularis. » — Congregatio *Puellarum charitatis*, quæ eum-

¹ Trinitarii dicebantur apud nos *Mathurini* ab ecclesia Sancti Mathurini quam habuere Parisiis; sic et fratres Prædicatores dicebantur *Jacobini* ab illo celebriori conventu quam habebant in via Sancti Jacobi, item Parisiis.

² In quo Ordines religiosi proprii dicti distinguantur a Congregationibus sæcularibus, dicetur infra (nº 445).

dem sanctum Vincentium patrem ac institutorem habet. — Congregatio *Oratorii*, quam fundavit S. Philippus Neri Romæ, et vir religione venerabilis, Card. de Berulle in Gallis, ad verbi divini prædicationem, et puerorum in litteris institutionem. — Congregatio *Redemptoristarum* a sancto Alphonso de Liguori. — Communitas Presbyterorum *Seminarii S. Sulpitii* Parisiis, cui originem dedit J. J. Olier, sacerdos pietate erga sanctissimum Sacramentum et Beatam Virginem, ac zelo informandi clerum disciplinis sacris, conspicuus. Hanc sodalitatem, approbatam olim, ab anno 1664, a Card. Chigi Legato a latere Alexandri VII, confirmavit SS. N. Pius IX, an. 1865. Presbyteri Sancti Sulpitii remanent e clero sæculari et nulla vota emittunt.

456. — VI. *Quinam sint religiosi, qui TERTIARIJ nuncupantur?*

Plerisque ordinibus religiosis correspondet ordo Monialium, quæ eandem fere regulam sequuntur, quantum patitur sua conditio. Sunt Moniales *Basilianæ, Augustinianæ, Benedictinæ*, quæ sequuntur regulas SS. Basilii, Augustini, Benedicti; *Franciscanæ*, cujus institutum erexit S. Franciscus; *Dominicanæ*, quæ suas regulas receperunt a S. Dominico; *Carmelitanæ*, quarum reformatrix est S. Teresia, etc... Extiterunt olim Jesuitissæ, quæ æmulabantur sequi ordinem S. Ignatii, ac vitam regularem agere sub regimine præpositi generalis societatis Jesu; at illarum desiderio non assensa est societas Jesu, et istam congregationem, quam nusquam approbaverat Sancta Sedes, suppressit Urbanus VIII, an. 1605. (Cf. Const. Bened. XIV, *Quamvis justo*, an. 1749.) Hæ Monialium religiones merito dicuntur *secundus ordo* sancti Francisci, etc., respective ad regulam quam profitentur.

Porro, cum plures ordinum religiosorum Regularium et Monialium fundatores, alium quisque ordinem instituerint, in favorem fidelium qui, in sæculo remanentes, accendebantur zelo vitæ religiosæ, novus ille ordo tertius loco venit, ob quam

causam *Tertiarii* dicti sunt quicumque tertiam regulam amplectebantur. « Fraternali dilectione devictus, beatus Franciscus ad instar patriarchæ Noe arcam fabricavit ac tricameratam fecit, ait sanctus Antoninus, religionem scilicet Fratrum, Monialium et tertii ordinis, ut habitantes in ea præservaret a diluvio vitiorum, omni statui cupiens providere. » Idem fecit S. Dominicus, et exemplo horum Sanctorum, alie religiones suum tertium ordinem habuere.

Primitus, *Tertiarii* in propriis domibus commorabantur, inter quos multi uxorati erant: alii deinceps voluerunt tertiam regulam servare in vita communi, dum cæteri remanserunt in sæculo; unde duplex orta est classis Tertiariorum.

Sancta Sedes non semel constitutiones edidit quibus ordines Tertiariorum reget, ac bonis spiritualibus, privilegiis nempe et exemptionibus, ditaret. Has constitutiones referendi in præsentem non est locus; dicemus tantummodo: 1° viros privilegiis non potiri quin collegialiter vivant; 2° mulieres iisdem gratiis participare posse remanendo in sæculo; 3° mulieres quæ in sæculo morantur admittendas non esse ad habitum ordinis sine licentia Episcopi.

Sanctus Pius V jussit nullas Tertiarias ordinum Regularium admitti in conventu, nisi vota solemniter emitterent, legemque clausuræ omnino servarent, quod ad mentem Pontificis intellectum fuit communiter de omnibus aliis mulierum congregationibus. Multæ tamen, a tempore quo prodii illa constitutio, erectæ sunt atque floruerunt, scientibus et tacentibus Ordinariis locorum, domus Tertiariarum quæ nec vota solemniter emittebant, nec claustrorum lege tenebantur. « Ut de ipsius decreti observantia studium ostendatur, ait Benedictus XIV, Sedes Apostolica Tertiarias hujusmodi dissimulare, et tanquam sua auctoritate minime probatas, Episcoporum jurisdictioni permittere consuevit¹. » Hinc est quod

¹ *Institutio* xxix, n° 15.—Multæ de Tertiariis conjecit Ferraris, v° *Tertia-*

adusque recentiora tempora, in declarationibus quas identidem Sacra Congregatio Regularium dedit circa hæc instituta, quæ jurisdictioni Episcoporum omnimodo subjecta esse voluit, insertebatur clausula: *Citra tamen approbationem S. Congregationis quoad conservatoria.*

Hodie clausula non amplius inseritur, quia Sancta Sedes opportunum duxit, pro temporum conditione, non solum tolerare, sed approbare conventus mulierum absque professione solemniter et lege claustrali.

457. — VII. *Quis ordo præcedentiæ servetur inter Regulares?*

Præcedentia est jus occupandi digniorem locum, servato ordine hierarchiæ juxta quem digniores inferioribus præcedunt.

Regulares, cujuscumque ordinis sint, locum honorabiliorem cedunt clero sæculari, in omnibus locis, in propriis etiam Ecclesiis et conventibus monachorum, nisi tamen Regulares interveniant repræsentando corpus cathedralicum seu aliam Ecclesiam superiorem, et constituent corpus morale cum prælato regulari, ut contingit in nonnullis Ecclesiis cathedralibus et metropolitanis quæ regulares et, ut ita dicam, monasteriales erant. Ratio est quod in clero sæculari, quem magis immediate fundavit Christus, in summo Pontifice scilicet et in Episcopis, sit ratio prima, radix et fundamentum hierarchiæ, unde totius præcedentiæ jus procedit; quicumque autem e clero participant, in certo gradu, jurisdictionis S. Pontificis et Episcoporum, vel illis associantur in regimine Ecclesiæ universalis, aut Ecclesiarum particularium, consociantur simul prærogativæ præcedendi, habita in singulis ratione dignitatis. Eam etiam ob causam congregationes sæculares veniunt immediate post clerum et præcedunt regularibus.

rii; — Card. Petra, *Commentaria in Const.* n° Nicolai IV; in *Const. unicam* Innocent. VII; et in *Const.* xv Martini V; tom. III, pag. 268; tom. IV, pag. 202 et 255.

Inter autem regulares ratio habetur simul originis et foundationis, non vero excellentiæ respectivæ, seu perfectionis regularum, ne lites ac periculosæ quæstiones excitentur, quæ pacem ordinum religiosorum turbare, et scandalum populo generare possent. Hinc est quod Romæ, ubi ab exordio plerique ordines habuere monasteria seu domos, incedunt ratione originis, salvis quibusdam privilegiis auctoritate pontificia concessis : scilicet, antiqui ordines monachales primi veniunt post canonicos et clericos sæculares; subsequuntur deinde ordines mendicantes; postea clerici regulares, ratione originis singulorum. Inter mendicantes locum honorabiliorem occupant fratres Prædicatores, quem ritum nonnulli SS. Pontifices, pro suo affectu in familiam Dominicanam, servandum indixerunt in quibusdam regionibus in quibus motæ fuerant controversiæ. Ita statuit Clemens VIII pro regnis Aragoniæ, Valentæ et Cataloniæ. Const. *Inter cætera*, an. 1592.

Exceptis peculiaribus privilegiis, de quibus nihil in præsentī dicendum, lex generalis est ut habeatur ratio possessionis et consuetudinis. Declaratum fuit a Sancta Congregatione Rituum, ac decreto Gregorii XIII, an. 1582, sancitum, ut inter ordines mendicantes, « qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant; « et ubi non constat de possessione, præcedant qui antiquiores « sunt in loco controversiæ. » Id est : Si non constet de possessione, et contigerit nova monasteria aut domos alicujus ordinis fundari in loco in quo alterius ordinis prius monasteria erecta sunt, Ordo qui prius monasterium seu domum in eodem loco habuit, præcedit. Est prima et generalior regula : altera e consuetudine ducitur. Sicubi inductum sit præscriptioneque firmatum, ut ratio habeatur originis religionis, non vero foundationis monasterii, vel etiam ut talis ordo, qui nec origine nec foundatione domus antiquior est, cæteris præcedat, consuetudo servanda est.

Statutas regulas generales ad omnes æque Mendicantes, ne exceptis quidem fratribus Prædicatoribus, et ad ipsos ordines

monachales extendi arbitrantur canonistæ gravis ponderis; et probant adductis declarationibus S. Congregationis, Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, quæ omnes quæstiones motas de præcedentiâ, resolvere consuevit ad præscriptum Gregorii XIII¹.

ARTICULUS II. — DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

438. 1^o *Quid sit status religiosus?*

Est status fidelium qui modum vitæ communis, ab Ecclesia approbatum, emissis votis obedientiæ, paupertatis et castitatis, profitentur.

Dicitur 1^o *Status...* quod per se designat stabilem conditionem vitæ, non actus transitorios, seu temporarias sodalitates, quibus fideles aliquod bonum spirituale prosequantur. Necessarium quidem non est ad vitam religiosam ut fideles lege prorsus immobili in ea teneantur, at requiritur saltem aliqua ratio stabilitatis, et præsertim ut qui illam professi sunt, non valeant pro arbitrio propositum mutare, statumque deserere.

2^o *Qui modum vitæ communis...* in quo religiosi differunt a cæteris fidelibus qui vitam perfectam, votis emissis, sectantur remanendo in sæculo et ab iis etiam qui studio perfectionis acquirendæ degunt in eremo, ut Deo vivant more anachoretarum. « Ex natura sua, ait Schmalzgrueber, status religiosus « non requirit necessario vitam communem. Si enim illam « requireret, vel ratione status ut sic, vel ratione perfectionis. « Non ratione status ut sic, quia hic solum dicit immobili- « tatem; non ratione perfectionis, quia ad hanc tendere etiam « vitam solitariam degens potest... Sufficit ergo, per se lo- « quendo, ad vitam religiosam, si is qui eam profitetur... obser- « vet consilia evangelica, ut horum observantiam firmet voto, « et quidem perpetuo, et hæc vota tanquam substantialia reli-

¹ Cf. Pignatelli, *Consultationes canonice*, tom. I, *Consult.* cxxxviii.